LAI

IA.

I.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Oratio de Protervia quadam Philosophica.
2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.
3. Gymnasium Ethicum.
4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Commentatio.

D. O. M. A.

Miscellaneorum

Decadis I.

EXERCITATIO IV.

DE

POTENTIA

in rebus

ΣΚΕΨΙΣ Prior.

Definitivam potentiæ considerationem exhibens.

Ad disputatorium exercitium in Gymnasio Gedanensi proposita.

Præside

HENRICO NICOLAI

Philos. Mag. & ejusdem Professore Ordinario

Respondentis partes obtinente

IOHANNE RATHMANNO

Dantiscano Borusso.

Ad diem 22. *Augusti, S. N.*

In Auditorio Philosophico

Horis ab 7. matutinis.

Gedani. Typographo Georgio Rhetio exscripta. Anno 1635.

I.

SOcratem, divinum omninò Philoſophum, reprehenſum ab Hippiâ Eleo in 4. memorab. pag. 167. memorat Xenophon, quod iterata de iisdem ſæpè proponeret, & ſimilia de ſimilibus Audientibus identidem inculcaret. Ei Socrates non abſurdè regeſſit, non ſuetum ſolùm ſibi, ταὐτα μὲν ταὐτως, id eſt, eadem de iisdem diſſerere: Sed adeò id reprehendendum non eſſe, ut nec Hippias quæſitus, quot eſſent vocis Socratis litteræ, totidem, quot ante, reſponſurus, reprehenderetur, aut ſi, an bis 5. decem eſſent, rogatus, ſimilia de ſimilibus, ut olim, reponeret. Atq; etiam in Naturalibus ſolem oculis intuentium, veſperaſcente jam die, ſubductum, poſtliminio quaſi reverſum, eundem ſeſe oculis noſtris exhibere videmus: & quia ſolitum, nec miramur, nec reprehendimus. Ad eundem modum non mirabile arbitremur, ſi eaſdem materias repetitis vicibus produci videamus in proſcenium, ſi vel occaſio iterandi ſubſit, vel materiæ varietas aut difficultas repetitam elaborationem non ſine uſu futuram, perſuadeat. Id in præſenti, quam iteratâ diſquiſitione damus, eventurum ſperamus. Quam Anno 632. Ianuario menſe propoſitam, novatâ diſceptatione repetere utile viſum fuit, quòd & diſtractis prioribus exemplaribus, argumentum ipſum tractari dignum habitũ ſit &: immutatũ in quibusdam, in aliis auctum illuſtratumq;, ad diſceptationis repetitionem ventilandum producatur.

2. Dari potentiam in rebus, præterquam quòd ſenſus effectorum claritate convicti, apertè confirment; & Philoſophi ad unum omnes facilè largiuntur. Cum nihil actu ſit vel fiat, quod non eſſe aut fieri potuiſſe prius, planiſſimè ratio evincat.

Sed ubinam potentiæ natura velut in propriâ sede explicanda veniat, *curiosiùs inquiri possit? Consideratur ea* vel *generaliter, ut affectio Entis in genere est, Comes cujusq́; rei, quæ ad agendum aut patiendum Naturâ instructa est: Sic Metaphysici fori est, Ea enim Ens, & quæ ei generaliter & immediatè competunt, speculatur.* Arist. 4. Meta: c. 1. Vel specialiter, *ut talis & talis potentia est: Ita suis quæq́; disciplinis specialibus asseritur. Potentia intelligendi & volendi Pneumaticæ: malè enim istam Metaphysicæ infert* Timpler. ex: Phil. 5. q. 1. *Omnipotentia eidem disciplinæ Pneum: relinquitur, ut & Theologiæ: Potentia ridendi, flendi, sentiendi, movendi, & quæ cæteris rebus naturalibus, ut naturales sunt, competunt, Physicæ: Potentia artificiosè numerandi ex habitu, Arithmeticæ: canendi ex habitu, Musicæ: virtuosè agendi, Ethicæ: domum, aut Rempublicam prudenter gubernandi, Oeconomiæ atq́; Politicæ: Vt potentia est species aliqua qualitatis, sub eâ tanquam genere collocata, & ad prædicationes constituendas, & res ordinatè distinguendas adhibetur, ita Logici fori in doctrinâ prædicamentali esse intelligitur. Nobis in præsens* generalis potentiæ consideratio *maximè speculanda proponitur. In quo si subtilitates difficultatibus mistas, intercurrentes videbimus, non ut solent plebeja ingenia, tanquam venena, & stercoribus nata, rideamus continuò, aut aversemur: sed divina illa Scaligeri, magni sui seculi columinis, verba cogitemus,* ex: 307. f. 3. Hæ subtilitates, *quanquam sunt animis otiosis otiosæ atq́; inutiles: tamen vegetis ingeniis summam cognoscendi afferunt voluptatem. Sitæ scilicet cùm in medio moralis Philosophiæ; tùm in summo fastigio ejus sapientiæ, quæ rerum omnium principia contemplatur. Atq́; harum indagatio subtilitatum, etsi non est utilis ad machinas farinarias conficiendas, exuit tamen animum inscitiæ rubigine, acuitq́; ad alia. Eo deniq́; splendore afficit, ut præludeat sibi ad nanciscendum primi opificis similitudinem.*

3. Atq́;

3. *Atq; hæc velut* præcognitorum *loco in hac materiâ:* Cognitiva *potentiæ tractatio* vel Nominalis vel realis *esse potest.* Nominalis *triplex, Homonymica, Etymologica, & Synonymica.*

4. Homonymica: *Sumitur vox potentiæ* vel Philologicè, vel Philosophicè. Philologicè *significat* vel *propriè* vel *appellativè. Propriè, cum est nomen proprium, notat vel Urbem in Piceno sitam, Potentiæ nomine dictam, ut* Cicer. d. arus. resp 62. *Eodem tempore factus in agro Piceno terræ motus Potentiæ nunciatur:* Vel *est nomen mulierum, ita proprio nomine dictarum.* Appellativè, *cum est nomen substantivum: Sic iterum sumitur sensu* vel tropico vel proprio. Tropico 1. Metonymicè & Synecdochicè. *Sic dicitur potentia* 1. Deus ipse, *ut notat* Drus. ad loc. diff. V.T. Num. 28. *Ubi El Hebr: Latinè potentiam interpretantur, quia summè potens Deus est. Sic* Mat. 26. v. 64. & Mar: 14. v. 62. *à dextris potentiæ: id est, Dei. Quomodo* Lucas *explicando utrumq; conjungit,* c. 22. v. 69. *Et Ebræorum Doctores inter Epitheta Dei habent, potentiam, ut, ex ore potentiæ, id est, Dei.* 2. Potentia Dei. *Sic in* Orat. Dom: *Tuum est regnum, & potentia.* 3. Spiritus creatus. *Sic angeli* δυνάμεις *dicuntur, partim in sacris, ut* Rom. 8. v. 38. ἐξουσίαι Colos. 1. v. 16. Eph. 1. v. 21. 1. Pet. 3. v. 22. *partim gentilibus scriptis, ut* Ammian. sub init. l. 21. *Substantiales potestates ritu diverso placatæ vaticina mortalitati suppeditant verba.* 4. Magistratus, *partim in sacris,* Luc. 22. v. 25. Rom. 13. v. 1. Tit. 3. v. 1. *partim profanis,* Plin. l. 29. N. H. c. 4. *Basilisci sanguini tribuunt successus petitionum à potestatibus.* Apulei. *Sed jussit potestas officialem suum magna severitudine coërceri.* 5. Alius homo. *Sic* Ennius *potentiam Pœni dixit pro ipso Pœno: His pernas uccidit iniqua potentia Pœni. Quomodo* Horatius: *Virtus*

Scipiadæ & mitis sapientia Lœli, pro Scipione & Lælio: & Cicero 3. d. orat. §. 1. *humanitatem & virtutem L. Crassi pro ipso Crasso dixit. Aliaq; ad hanc loquendi formam pertinentia adduxit* Lipſ. l. 1. V. L. c. 19. Proprio ſenſu *notat magnam partem vim agendi & dominandi apud Philologos: raro & forte nunquam patiendi. Hinc* Cic. 2. d. inv: *potentia facultas dicitur ad sua conservanda & alterius obtinenda.* Id. ep. 10. ad Brut. *Potentia jam in vi sita est & armis. Et ad hoc significandum primò esse inventam vocem potentiæ putat* Avicenna *ap* Bellovis. tr. 2. term. c. 8. ICtis *interdum notat actum vel principium in implendis conditionibus, notante* Bertachin. par: 4. repertor, voce *potentia.* Philoſophicè *significat* 1. generalisſimè *omnem vim & facultatem vel ad agendum vel patiendum. Ita* Ariſt. 9. Meta. c. 1. *quodammodo unam esse ait ipsius facere & pati potentiam. Sic Deo tribuimus potentiam agendi, & materiæ potentiam recipiendi omnes formas.* 2. Metonymicè *notat materiam. Sic materia dicitur pura potentia, ex* Ariſt. l. 1. d. anim. c. 1. t. 2. & l. 9. Meta. c. 8. *non quod nihil planè sit, sed quod vim recipiendi omnes actus formæ & compositi habeat.* Conf. Zabar. l. 2. d. mat. pri. c. 2. Cl. l. Mart. l. 1. par. Meta. ſ. 8. q. 1. 3. Specialiùs, vel *potentiam agendi tantùm, id est, principium operarum & effectionum, ut* Scalig. *loquitur,* ex. 307. ſ. 16. *Sic ipsa substantia dicitur potentia efficiendi accidentia.* 7. Meta: *Sic in prædicamento qualitatis famosè potentiæ naturales dicuntur virtutes illæ ad agendum naturâ inditæ, ut vis sentiendi, movendi, nutriendi, &c. Hoc modo omnes artes, scientiæ, habitus, potentiæ dicuntur, quia sunt principia operationum.* 9. Meta. c. 2. 5. *Conf:* Timpl. l. 5. Met. c. 3. q. 21. *Sic actum primum, vocant sapientes potentiam secundam, remotam: secundum, pot: primam, proximam. Vt Scalig.* ait c. l. Vel *patiendi tantùm,*

tantùm, sic actus purus dicitur, qui nihil habet potentiæ. Sic hominem posse doceri, verberari, dicimus. 4. Interdum *notat aptitudinem ad existendum, quæ potentia objectiva, Logica, & transcendentalis dici solet. Sic rosa in hyeme in potentiâ sui fruticis est, filius nondum natus in potentiâ parentum. Huc pertinet divisio Entis Metaphysica in Ens actu & potentiâ, de quâ* V. Fonsec. in 9. Meta: c. 1. q. 1. s. 1. Dn. Scheib. l. 1. Meta. c. 14. n. 11. 5. Interdum *potentiam obœdientialem in re, respectu Dei aut artificis, ad aliquid recipiendum. Sic in lapide potentia dicitur, ut fiat homo.* Mat. 3. v. 9. *& æs in potentiâ ad statuam, lapis ad columnam, lignum ad Mercurium esse dicitur.* 9. Meta. c. 6. 6. Interdum *inessentiam alicujus in aliquo,* vel *actualem, quomodo totum habere in suâ potentiâ partes dicitur, mista elementa, theriaca opium, casiam & venena, ex quibus componitur:* vel *virtualem, quomodo chalybs & silex in potentiâ dicuntur habere ignem in se, materia & forma, compositum esse.* 7. Interdum *qualitates afficientes, quas vulgò patibiles vocamus, quæ Græcis δυνάμεισ dicuntur apud* Arist. 2. Eth. c. 4. notante Goclenio in Metap. Timpl. l. 1. c. 2. q. 6. *Quia iis vis inest afficiendi, movendi & perturbandi. Hic plerique significatorum modi tractationi nostræ fermè inferentur.*

5. 2. Etymologica. *Etymologia* Logica *potentiæ nulla dari potest, est enim ea ultimatè abstracta, à nullâ simplicioris significati in hoc genere denominationem trahens, unde Logicè derivari posset; sed ipsa ut simplicissima reliquis magis concretis, à se, ut forma denominationem largitur, quales sunt, potens, posse, potesse, &c.* Grammatica *est à verbo posse, quod Antiqui enuntiabant potesse, & potissum, pro possum, notante* Lipsio. l. 1. V. Lect. c. 14. *Vnde potessentia, & contrahêdo potentia dicta.* Historica, *quâ quæratur, quis primus vocis potentiæ appellator apud Latinos? Hoc ignotum, & vix perquirendum puto.* 3. Synonymica; *Dicitur etiam potestas, vis,*

facul-

facultas, virtus, aptitudo, habilitas, idoneitas, qualitas agendi, patiendi. V. Scalig. c. l. Livio 6. bel: Punic. *potentatus.* Arnobio l. 1. ad: gent. *possibilitas. Constitit, inquit, Christum sine ullis rerum adminiculis omnia illa, quæ fecit, nominis sui possibilitate fecisse. Averroës hoc nomen magis intrinsecum esse vult, potentiam semper exire in actum aliquem, at possibilitatem non.* V. Perer. l. 5. d. Phil. c. 21. *Certâ ratione discrimina inter has voces dari possunt.* V. Timpl. c. l. q. 10. Mercatum T. 1. op. l. 1. par: 5. q. 133. a. 1.

6. *Ita* nominalis *potentiæ tractatio:* Realis *duplex esse potest, Absoluta & Respectiva.* Absoluta, *quâ natura potentiæ in se spectatur. Potestq́; esse* definitiva, divisiva, & affectiva.

7. Definitio *potentiæ priusquam detur, quærendum & decidendum ante omnia est, utrum potentia semper differat realiter ab eo, cujus est, tanquam accidens à subjecto, an verò interdum sit ipsa rei essentia? Hoc enim ad ipsam accuratam potentiæ definitionem multum momenti adferet. Imò eo non liquidò discusso, vel aliena, vel nimis stricta definitio potentiæ assignabitur. Quod si enim dicas esse qualitatem ad agendum vel patiendum, falsum dices, si constet, non in omni re eam qualitatem, id est, accidens esse, sed quandoq́; substantiam: Si apparatum ad actum vocaveris, & valdè Tropico vocabulo ludes, & nimis laxè definies. Et quantitates possunt esse apparatus ad actum, unde vulgatum: in majori quanto major est virtus, cæteris paribus: quæ tamen non potentiæ. Necessum ergò inprimis est, illud primum discutere, & eo discusso, postea definitionem potentiæ venari.*

8. *Illud ut accuratè expediatur, haurienda est universalis quorundam Entium divisio, de quibus potentiæ affirmari possunt. In universum* Ens *est* vel *increatum, ut Deus, & divina attributa, cogitata, dicta, facta:* Vel *creatum. Hoc*

vel

vel *substantia est, Ens per se subsistens, non inhærens accidentaliter:* Vel *Accidens, Ens inhærens substantiæ. In* substantiâ alia *est mera forma, materiam & compositionem Physicam ex materiâ & formâ univocè dictis non admittens (etsi Logicam ex genere & differentiâ, & Metaphysicam, ex esse & essentiâ, actu & potentiâ, restringente & restricto, admittat:) ut Angelus bonus & malus, Anima rationalis separata à corpore:* Alia *forma in & cum materiâ, id est, substantia ex materiâ & formâ composita, ut homo, leo, asinus, &c.* Alia *principium constitutivum substantiæ internum, ut materia & forma, quæ sunt entia incompleta ad constitutionem corporum essentialiter ordinata.* In accidente aliud *est quantitas, cui potentia agendi vix competit: aliud qualitas, quæ sæpè est ipsa agendi patiendivè potentia; aliud relatio, actio, passio, aut reliquum quid, de quibus omnibus quid in hâc re sit habendum, distinctis propositionibus ordine partitèq; expediri debet.*

9. *Dico* I. In ente increato, ut Deo, potentia agendi est identicè à parte rei ipsa Dei essentia, non qualitas essentiæ superaddita: pot. patiendi prorsus ab eo exulat. Prius *probatur: Quia Deus est omnimodè & perfectissimè simplex, nullam compositionem, nec Physicam, nec Mathematicam, nec Logicam, nec Metaphysicam admittens. E. nec compositionem ex essentiâ & potentiâ admittit. Antecedens patet* 1. Scripturâ, *quæ Deum simplicem docet, quoties perfectissimum dicit.* Esai. 40. v. 12. 22. 26. *At quod perfectissimum est, simplicissimum esse oportet. Nam quod accessu aliorum componitur, perficitur ulterius. At quod perficitur amplius, perfectissimum non est: Tum componentia naturâ priora composito, ut partes toto.* Scalig. ex. 359 f. 12. *At Deo simpliciter nihil prius est, nec tempore, nec naturâ. Fieret enim dependens, & non maneret perfectissimus.*

Cum etiam immutabilem vocat, Num. 23. v. 19. Mala. 3. v. 6. Iac. 1. v. 17. *ubi inprimis emphatica sunt verba*, οὐκ ἔνι παραλλαγὴ, ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα, *quæ & omnem mutationem excludunt, & defectum ab immutatione illatum eleganter adumbrant, quasi cum lucidum jubar inumbrationis accessu vigorem amittit. At quod compositionem admittit, mutatur ab eo, quod ante non erat, in id, quod incipit fieri.*

10. 2. Ratione. 1. Deus est actus purissimus, *totus independens, Ens primum. E. aliquid re diversum ab essentiâ non admittit. Secus haberet potentiam aliquid recipiendi in se, & sic non actus merus esset: Haberet aliquid dependens, quod dependeret ab suâ essentiâ, aut à quo essentia dependeret, tanquam perfectum à perficiente: Haberet aliquid in ipsâ re spectatus, quod sequeretur essentiam, & sic non esset tota simpliciter prima essentia, sed ex parte aliquâ: sic ex parte quadam esset Ens primum, ex parte non primum, ex superadditâ nempè essentiæ divinæ diversâ potentiâ, quæ omnia sunt inconsistentia; & à naturâ Dei penitùs aliena.* 2. Si potentia, *ut facultas re diversa superadderetur essentiæ divinæ*, aut *perfectionis*, aut *operationis*, aut *ornatus gratiâ superadderetur*. Non primi, *sic enim essentia infinita in se esset imperfecta, & perfectionem sumeret ab superveniente facultate. At quod infinitum est, sibi completum, perfectum, sufficiens esse oportet*. Non secundi, *sic enim eadem essentia esset insufficiens ad operandum, & sufficientiam mutuari deberet ab advenientе accidentali perfectione. Sic accidens esset perfectius Deo. At quod infinitum est, debet per infinitam suam essentiam æquipollere omnibus illis operandis, quæ per diversas potentias cogitur expedire finitum ob constrictionem & finitatem suam, secus non est verè infinitum*. Non tertii, *sic enim divina ess: esset in se inornata, & ornamenta ab extraneis deposceret accidentibus, Quæ omnia sunt absurdissima. E. planè*

nulla

nulla accidentia divinæ essentiæ superaddi possunt. Con. Becan.p 1.T.1.Th.Sch.c.1.q.1.Arist.3 Ph.c.4.t.38.

11. Identicè à parte rei *simplicissimè idem esse essentiam Dei & potentiam dixi* t. 9. *A parte* nostri conceptus formalis, *distinctivi, præcisivi, distinctè unum concipientis præciso alio, ita describentis, effecta, objecta, respectus, opposita, diversa, analogias operationum humanarum attendentis, aliquod discrimen intervenire potest:* rationis, *ut Philosophi vocant,* ratiocinatæ, *id est, tale, ut conceptus noster aliquod fundamentum discernendi essentiam divinam & potentiam, misericordiam, bonitatem, &c. inveniat in re non absolutè in se spectatâ, sed ratione diversorum objectorum, effectorum, oppositorum, prædicatorum, & proportione actuum humanorum. Atq; id sic patere potest distinctè. Intellectus noster, qui finitus est, rem infinitam, ut talis præcisè est, uno adæquato & totali conceptu simul totam compræhendere nō valet. Concipit ergò quantum potest, quando non potest, quantum vult. Hinc ubi distinctè & ordinatè essentiam divinam percipere vult: inadæquatos interdum format conceptus, quibus præcisè concipit essentiam, & attributa ratione ab essentiâ distinguit. Et in illâ distinctâ attentione, nec attributa simpliciter esse ipsam essentiam dicit, nec inter se absolutè eadem esse ait: sed unum attributum non esse aliud, sed distinctum dicit, citra vanitatem, falsitatem, aut imperfectionem divinis illatam. Nam* ut multitudo rerum in ente creato distinctionem realem importat: Sic multitudo conceptuum nostrorum distinctorum, distinctionem rationis. *Vnus est conceptus de Deo objectivè actu in nobis: Sed multus virtute & radicaliter, ex distinctis rationis appræhensionibus ortus. Nec falsus ideò conceptus noster, quod non in re multa sint: Non enim* dicit in re, reali consideratione, aut esse objectivo, esse multa; *Sed* in nostro conceptu & rationis distinctio-

ne: *Vel in re non in se & absolutè, sed in nostro concipiendi modo distinctè conceptâ & relativè spectatâ: Omnia attributa in Deo quà rem sunt unum: Sed ita perfecta, ut possint terminare diversos nostros conceptus, distinctè de iis formatos.*

12. Et habet intellectus diversæ hujus apprehensionis fundamenta in re pro diversis objectis, effectis, prædicatis, oppositis, analogiis creatis, *spectatâ.* Objectis: *Aliud objectum formale est, circa quod versari videt justitiam divinam, punibile: aliud circa quod misericordiam, miserabile. Hinc ratione objectorum spectata hæc attributa dicit diversa esse.* Effectis: *Effectus justitiæ est punire, damnare, reprobare: Misericordiæ, remittere, absolvere, salvare, recipere. Diversa ergo horum respectu hæc spectata.* Prædicatis: *Misericordiæ prædicatum est recipere, & remittere: Justitiæ, rejicere, & ulcisci. Hoc modo diversa hæc.* Oppositis; *Oppositum Misericordiæ est immisericordia & crudelitas: justitiæ, injustitia. Neutrum in Deo. Sed vi diversorum oppositorum & res quæ opponuntur, hac ratione spectatæ sunt diversæ.* Analogiis creatis: *Miseratio & justitia in homine differunt realiter. E. per similitudinem in Deo notionaliter. Vis liquans & calefaciens in sole est eadem res realiter spectata: sed ratione objectorum, effectorum, & prædicatorum, diversâ ratione apprehenditur. Liquans, quod molliat & diffundat liquabile: calefaciens, quod calefaciat idem. E. & per analogiam de Deo aliquid dici potest. Positis his fundamentis distinctionis intellectus citra errorem distinctè dicit, Attributum justitiæ præcisivè spectatum, non est attributum misericordiæ; attributum sapientiæ non est attributum bonitatis. Vt in sole vis liquans distinctè concepta non est calefaciens, & vicissim: citra falsitatem, contrarietatem, aut mutuam eversionem. A parte conceptus nostri formale hic est discrimen, non à parte rei formale, ut Scotistas sentire tradit* Becan. c. l. *Quem confer &* q. 2.

Vt &

Vt & Valent. T.1. d.1. q. 13. p. 3. Suaret. d.7. Met. f. 1. n. 4, 5. 6. Cl. I. M. l. 1. ex. Me. ex. 14, th. 10. & l. 2. ex. 4. th. 8. Posterius *membrum assertionis patet: nam potentia patiendi infert mutationem patientis ab eo, quod non habet, in id, quod supervenit, & patiendo recipitur. Sic albedo superveniens parieti mutat parietem ab non albo in album: doctrina superaddita homini, hominem ab non docto in doctum. At Deus simpliciter & omnimodè est immutabilis.* V. t. 10. *Quæ hic de creatione, incarnatione, adoratione, invocatione, dominio, imperio in creaturas ex tempore de Deo enuntiato, statutorum immutatione, à Vorstio, Arminianis, Photinistis, inferri solent, discursui solvenda relinquimus. Ad aliam hæc pertinebunt materiam. V. interim* D. Gerhard. exeg. d. nat. Dei, §. 154. 155. Valent. T. 4. d. 1. q. 1. p. 2. p. 19. 20. Becan. c. l. c. 18. §. 4. 5. c. 10. q. 16.

13. Dico II. In substantia creatâ completâ spirituali, ut angelo & animâ rationali, (*quæ completa Metaphysicè, ut separata, & species spiritus creati est, non Physicè, & ut altera pars compositi est,*) potentia intelligendi & volendi differt realiter ab essentiâ spiritus, ut accidens à subjecto. *Hæc propositio intricatissima est in Pneumaticis, si ulla alia: & fortasse nulla evidens & cogens ratio dari potest, quâ alterum horum apodicticè & firmissimè demonstretur. Vt benè* Valentia T. 1. d. 4. q. 5. p. 4. & d. 6. q. 3. p. 2. *Inde, si non rationes cogentes adferri possunt, sufficiant valdè probabiles, moraliter suadentes, & inductiones qualescunq; ab materialibus sumptæ, Cum immaterialia non aliter nisi per ordinem & proportionem ad materialia cognoscamus, ut rectè* Suaret. d. 18. meta. f. 3. n. 13. 14. *Nec à prudenti Philosopho in materiâ tàm abditâ demonstrationes sunt requirendæ, ut benè idem* n. 16. *Ergò duplex de obscurâ hac re Philosophorum sententia. Vna Thomæ & Thomistarum, propositioni assentientium, Vide* Thomam

p. 1. p.

p. 1. q. 54. a. 3. q. 59. a. 2. q. 77. a. 9. q. 79. a. 1. *Eum sequuntur* Cajetan: *in hos Thomæ locos:* Valentia c. l. Suarez. c. l. & d. 35. s. 4. n. 10. 16. *Qui eam communiorem Theologorum sententiam vocat, citatq; pro eâ* Albert. M. Alensem, Bonaventuram, Altisiodorens. Dionysium, Augustinum, Anshelmum, &c. n. 16. Conimbricens: 2. d. an. c. 3. q. 4. a. 2. *addunt* Ægidium, Capreolum, Apollinarem, Iandunum, Hervæum, &c. *Consentiunt* Rutgers. l. 1. Meta. p. 296. Cl. I. Mart. l. 2. exer. ex. 3. th. 4. l. 2. par. Met. s. 6. q. 4. Scalig. ex. 250. s. 5. *Ubi formis dari accidentia ait; ut sic agant. Nec verum esse quod recentiores dicant, formam nullam egere ministerio cujusquam accidentis ad actionem exequendam. Conf.* & ex. 346. & 359. s. 11. & ex. 111. *ubi generaliter nullam actionem substantiarũ sine qualitatibus apud Aristotelem esse ait. Etsi alibi aliter, ut post dicetur.* Becan. c. l. n. 10. q. 1. Perer. l. 8. Phys. c. 13. Fonsec. l. 5. Meta. c. 5. q. 1. s. 5. Scheibl. l. 2. Meta. c. 4. n. 60. 118. 202. c. 8. n. 177. & p. 2. d. anim. d. 3. t. 27. Conimbr. c. l. Tolet. l. 2. d. an. c. 4. q. 9. Ruvius in l. 2. Phys. tract. 4. q. 6. n. 51. seq. & 2. d. an. tr. d. pot. anim. q. 1. 2. Zabarel. d. fac. an. c. 4. d. part. an. c. 13. Timp. l. 4. Meta. c. 4. q. 19. c. 5. q. 10. l. 5. c. 3. q. 5. & exer. Phil. 6. q. 43. Kecker. l. 1. præc. Phi: c. 2. & l. 4. Phys. c. 2. Bodin. l. 4. Th. Na. p. 469. Sagittar. l. 2. Meta. ax. 1823. Mercatus c. l. in th. 5. Iacch: l. 9. Phy. c. 4. D. Sennert. l. 8. Phy. c. 1. Hippius pro. Ph. 42. *Aliiq. Estq; multorum præstantiũ Philosophorum sententia. Nec abludit* Aristoteles *ipse, partim, cum omnem potentiam operativam alicujus actus constituit secundam speciem qualitatis, in* Categ. d. qual. *partim, cum quà ignis & terra quid est, quidquam agere negat.* l. d: sens. c. 4. *de quo* V. t. 27. *partim cum animam definit actum corporis.* 2. d. an. c. 1. t. 6. *intellectum verò negat esse actum corporis.* l. 1. d. an. c. 1. t. 11. *E. sensit animam aliam esse essentiam, quàm intellectum. Altera* Scoti & Scotistarum, *qui potentias has*

idem

idem cum essentiâ putant, formalibus tantùm conceptibus distinctivis differre. Ita Scotus 2. sen. d. 16. q. 1. *Eum sequuntur Durandus.* 2. dist. 3. q. 5. Greg. Ariminens. Occamus (*omnium mortalium subtilissimus Scaligero* ex. 65. s. 4.) Gabriel, Marsilius, Marcellus, Bonaventura *ap.* Conimbr. c. l. a. 1. Augustin. d. spi. & an. c. 13. serm. d. imag. c. 11. l. 10. d. Trin. c. 11. Scalig. ex. 307. s. 15. D. Gerhard. exeg. d. Per. Ch. §. 256. D. Hutter. L. C. p. 267. b. Dn. Schröd. d. com. prop. th. 239. 240. D. Weberus trig. disq. c. Goclen. p. 119. 215. Scheck. l. 1. T. loc. 11. & 2. T. l. 9. Goclen. p. 2. misc. p. 326. Valles. d. sac. Phil. c. 48. Arriaga d. 11. Phy. §. 11. 16. seq. & d. 3. d. an. n. 1. 2. seq. Bartholin. Ench. Phys. l. 8. c. 25. Bierm. dis. d. pot. t. 121. Piccolomin. gr. 2. Ph. mor. c. 8. Magir. l. 6. Phy: c. 19. lit. A. Velcur. l. 4. Phy. c. 18. §. 2. Mendoza d. 4. d. an. s. 1. 2. 4. & d. 9. Phys. s. 3. Alsted. l. 6. Encycl. p. 4. c. 3. th. 1. (*qui tamen* p. 3. c. 7. *angelos malos non essentiâ, sed voluntate malos esse ait, apertè voluntatem aliud esse ab essentiâ innuen, ut quæ corrumpi potuerit salvâ essentiâ.*) Margar. Phil. & Comm. Damasce. ap. D. Meisn: p. 3. Ph. sob. s. 1. c. 3. q. 1. §. 4. *Et eò inclinat* Perer. *ex iis quæ disputat* l. 1. Ph. c. 9. *etsi alibi aliter.*

14. Probatur tamen propositio th. 13. *posita & generaliter & specialiter.* Generaliter I. Omnis potentia *creata ad actum & operationem essentialiter & ex naturâ sui ordinata, ut ab eo speciem, formale & definitionem sumat, est actui suo proportionata, saltem in genere generalissimo: Ita ut si actus sit substantia, & vis agendi sit talis: si iste accidens, & potentia. Sed actus potentiæ creatæ omnis est accidens. E. & in hoc generalissimo genere est omnis potentia, & consequenter nulla vis substantiæ est ipsa substantiæ essentia.* Major probatur 1. inductione *omnium operationum creatarum s. materialium s. immaterialium. Sic Intellectio, volitio, visio, calefactio,*

frige-

frigefactio, motio, verberatio, &c. sunt accidentia. E. & virtutes intelligendi, volendi, &c. Nullum enim hic dissimile reperiri potest. Et cum in materialibus ita videamus contingere, rectè ex proportione idem de immaterialibus judicamus. V.t.13.2.Exemplo *Dei. Actus in divinis sunt ipsa Dei essentia, non superaddita accidentia. Sic intellectio, volitio, decretio, creatio, prædestinatio, activè intra essentiam divinam spectatæ. Quicquid enim in Deo, est ipse Deus, secus mutabilitas, compositio, imperfectio, Deo inferretur. Quod non.* V.t.10.11. 3. Exemplo *actus substantialis. (Non hic stricta operatio, actus tamen transcendentalis, & proportionem inter actum & potentiam commodè illustrat.) Actus substantialis est ipsa naturæ substantialis essentia cum determinatiore modo spectata. E. & potentia subsistendi in naturâ substantiali est ipsa naturæ essentia, non accidens aliquod; Rectè. Sic vitalitas, rationalitas, brutalitas, sunt ipsæ rerum substantiæ, non accidentia. Secus substantiæ per accidentia viverent, rationales essent, quod absurdum. Sunt enim hi gradus, modi essendi in rebus, ipsis rebus essentialiter connexi. E. & vis vivendi, rationalem, brutalem, essendi, sunt ipsæ rerum substantiæ, gradus nempè essentiales in substantiâ tali vel tali latentes.*

15. Vt argumenti vis pateat, & quæ proportioni huic obstare videntur, faciliùs expediantur, advertantur sequentia. 1. Proportio *est instituenda inter actum, quà actus, & operationem, quà operatio est, non quà opus est vel operatum quid, id est, operatione productum. Sic inferatur: Generatio, id est, productio animalis est accidens. E. & vis generandi. Non sic: Opus generatum est substantia. E. & potentia generativa. Sic opus Architectando productum est substantia, domus: Opus statuariæ est substantia, statua; & tamen vis Architectandi, statuam faciendi, sunt accidentia, habitus artificiales. Hoc observato vanescunt objecta* Mendozæ c.l. § 2.3. & d.9. Phy. s. 3. n.16.

n. 16. & Arriagæ d. 11. Ph. n. 25. 26. *Ab igni generato per calorem, homine producto per generationem, aut à Deo per creationem: accidente producto ab substantiâ. Infertur enim hic opus productum, & dissimilitudo inter hoc & potentiam ostenditur,* cum in operatione ipsâ & operandi potentiâ ostendi debeat. *Sic infer: Calefactio & generatio sunt accidentia. E. & potentia calefaciendi & generandi. Et stabit proportio. Nec Deus, aut substantia, sunt tales potentiæ, quæ accidentia sint ad operationes ordinata, de quibus hic quæritur. Et hæc ergò aliena.* 2. Proportio *inter actum & potentiam non est intelligenda in speciebus entis specialibus, ut si operatio sit actio, aut ubicatio, & vis operandi sit talis: Sed generalissimis, substantiâ & accidente: & ulterius extendenda non est. Sic motio est actio, vis mouendi qualitas. Paternitas relatio, vis ad eam est vis generativa, qualitas. Vbicatio est in ubi, sed locomotiva illam producens, est qualitas. Ita vacillant objecta* Toleti c. l. *contrà proportionem adducta.* 3. Gradus *essendi & vivendi essentiales non sunt veræ potentiæ ad actus suos ordinatæ, & sic nequeunt proportionem hanc invertere. Veræ proprietates & potentiæ operativæ sunt adducendæ, non veræ animarum formalitates, ut vitalitas, sensitivum, rationalitas, bestialitas, leoninitas, &c. Nam hæc & similia gradus essentiales & formæ rerum sunt, non potentiæ activæ formis supperadditæ, ut maximè generalissimè interdum potentiæ dicantur.*

16. 4. Potentia *est ad actum ordinata, non quasi actus sit de essentiâ potentiæ, ut vis movendi sit ipsa motio:* aut *quod ubi potentia est, actus statim esse cogatur:* aut *quod tot sint modi potentiarum, quot actuum, sic motus alius modus sursum, alius deorsum, antrorsum, retrorsum: vis movens una est. Sic dealbationis varij esse modi possunt, albedo una:* Aut *quod inter actum & potentiam sit Geometrica proportio, quâ tantum virtutis aut excessus præcisè sit in actu, quantum est in potentiâ, quomodo*

Geometricè istos excessus ex æquo in reb⁹ monstramus: Sed quod ordinis & habitudinis alius ad aliud inter eam & actum inveniatur, quà potentia actum attingat, ut proprium & sibi destinatum suo modo, quo modo non eum potest attingere res alia. Vt benè explicat Valentia T. 4. d. 1. q. 1. p. 2. p. 18. *Quod per ordinem ad actum definiatur, ita ut iste ordo ad illum ab eâ nunquam absit, ut per eum speciem, determinationem & differentiam sumat: sic visus definitur vis ad videndum, generativa vis ad generandum: inter eam & actum sit coordinatio ut definitionis ad definitum, non subordinatio, ut generis ad speciem: Vt actus dependeat à potentiâ non ut ab objecto, parte essentiæ, vel mensurâ: sed ut ab antecedente, priori conditione, & efficiente suo: Et vicissim potentia respiciat actum, non ut relativum, quod specificet eam ut pars essentialis constituens potentiam, quæ* specificatio interna *dicitur: Sed ut finem & externam perfectionem suam, ad quam naturaliter ordinatur, quæ* specificatio *dicitur* externa. *Hoc modo potentia & aliæ res cum respectibus ad alias definiuntur, ob imperfectum nostrum cognoscendi modum, etsi in sui naturâ eorum essentia sine istis respectibus constet. Quo de fusè disputantem videas* Smiglec. d. 10. Log. q. 8. §. 1. 2. 4. *Hæc est illa proportio inter actum & potentiam requisita, quam* Scotus c. l. Mendoza, Arriaga, Toletus, *negantes reverâ cum Scoto σκοτίζετι.*
5. Potentiæ *voce non hic intelligenda potentia objectiva, quâ aliquid est in potentiâ suæ causæ, ut murinæ speciei potentia in fimeto, Quæ est transcendens quid & ipsa essentia esse potest,* V. t. 31. *nec solùm ejusdem generis generalissimi, sed & unius prædicamenti, cum actu esse potest, quippe ipsa res est, quæ est actu & potentiâ, diversis essendi modis considerata: Sed vis ad agendum comparata: & actus, qui est operatio, non res actu extra causas producta. Vt benè* Scalig. ex 307. s. 16. Wasius encycl. ax. 84. *De hac potentiâ proportio intelligenda, non istâ.*

Quæ

Quæ ulterius hic inferri possint, ex th. **21. 22. 23.** *clarescent.*

17. II. *Sic argui potest:* Actus in bonis *est nobilior potentiâ, Est enim velut ultima ejus perfectio, & prærequirit tùm ipsam potentiam, tùm aliam perfectionem superaddit.* Arist. 9. Meta. c. 9. Beda axiom. p. 22. Cl. I. M. C. 2. d. 10. q. 3. *At si potentia agendi esset ipsa spiritus substantia, actus accidens, semper potentia esset nobilior actu: semper enim substantia est nobilior accidente, est enim illa simpliciter ens, hoc in respectu ad eam πῶς ens.* 7. Meta: c. 4. *E. potentia est aliud quid ab essentiâ spiritus.* III. Potentiam agendi *in spiritu re diversam esse ab ejus essentiâ magis involvit compositionem, actus impuritatem, imperfectionem & aliàs non simpliciter contradicit naturæ spiritus, ut compositio ex corporeâ materiâ. E. magis ea tribuenda spiritui, quàm neganda. Solus enim Deus est actus purissimus. Cætera sub Deo omnia Logicè & Metaphysicè suo modo sunt composita. Conf:* Ruv. 2. Phy. tr. 4. q: 6. Valent: T. 1. d. 4. q. 5. p. 3.

18. Specialiter *sic inferri potest:* I. Essentia spiritus *creati ex se & ut sic, est indifferens ad intelligendum vel volendum, Potest enim vel intelligere vel velle. E. debet ab aliquo intrinseco ipsi essentiæ, determinari ad hunc vel istum actum. Hoc* vel *ab essentiâ fiet, quod non, nam illa indifferens ad utrumq;:* vel *ab extraneo quodam, ut objectis, speciebus impressis vel expressis, ut* Mendo: *vult.* d. 4. d. an. s. 4. §. 38. *circumstantiis, DEO: At hæc sunt aliena, quippe externa, & determinant ab extra. Iam verò quæritur de internâ determinatione, in ipsâ essentiâ inclusâ:* Vel *erit à speciali aliquâ potentiâ essentiæ superadditâ & intimè adjunctâ. Hæc* vel *erit libertas angeli, vel potentia intelligendi & volendi. Non illa, nam hæc ad diversa objecta tantùm est, ut modò hoc, modò illud intelligat, velit, angelus, non ipsam intellectionem in genere, quæ necessariò angelo competit & naturaliter, non liberè, unde in*

perpetuo actu intelligendi esse potest. V.t.20 *E. hæc determinatio erit à potentiâ determinatâ, ab essentiâ diversa. Si regeras, rationis vel modale discrimen ad hoc sufficere, & idem de DEI essentiâ dici posse, in utroq; falsus eris.* Modi *determinant ad essendum vel existendum: & sic sufficit, ratione à suis subjectis & naturis, quas determinant, & modaliter differre: Potentiæ agendi ad operandum, & sic majus discrimen inferunt. Essentia divina si esset indifferens, jam ex se & suâ naturâ tantùm, non esset intelligens, volens, bona, justa, sed ab alio accedente ad hæc perficeretur. At sic non esset actus purissimus, simpliciter immutabilis, independens, quod est contra essentiam DEI.* V.t.10. *Con.* Becan. c.I. c.1.q.1.§.7.

19. II. Potentia intell: *spiritus creati est mutabilis & variabilis etiam naturaliter. Essentia ut sic, naturaliter non est variabilis. E. differunt hæc realiter. Prius probatur* I. à Majore *intellectus in diversis angelis perfectione. In angelis bonis intellectus est perfectior, quam malis post lapsum, ut probabiliter statuitur.* V. Alsted. I.6. Enc. p.3.c.4.§.5. *Imò in superiore gradu Angelorum perfectior potest esse intelligendi vis, quàm inferiore, ut etiam sentitur. At essentia præcisè spectata eandem retinet perfectionem.* 2. à Dæmonum *immutatione. Intellectus dæmonum post lapsum mutatus est à perfecto in imperfectum, claro in obscurum, distincto in confusum: voluntas à bonâ in deterrimam, & tantùm in malo occupatam & induratam. Vt ex analogiâ nostri lapsûs deducunt Theologi.* V. Alst. c.I. c.8.§.1. *At essentia præsisè spectata mansit eadem.* 3. A quotidianâ *per objecta perfectione. Intellectus angelicus quotidie perfici potest vel diversorum objectorum speculatione, vel novâ Dei revelatione: & extensivè, ut ad plura objecta cognitio se extendat, & intensivè, ut excelsior & sublimior fiat. Et concedit* Scalig. ex: 359. f. 11. *Ita circa unum objectum clarior potest esse vis cognoscendi in Sp. creato, quàm circa aliud.*

Sic

Sic naturalia clariùs cognoſcunt, quàm myſteria fidei, v. g. Trinitatis, incarnationis. Hinc παρακύψαι *geſtire dicuntur in ea.* 1. Pet. 1. v. 12. *Co.* Valen. T. 4. d. 1. q. 1. p. 2. *Sic potentia Sp. eſt mutabilis ſecundum electionem & varios actus relatos ad finem. Ita poteſt modò hoc eligere, illud averſari, & contrà. Vt rectè idem* T. 1. d. 1. q. 9. p. 2. *At eſſentia nec per objecta, nec divinam revelationem, nec diverſas electiones, fit ſublimior, aut variatur, ſed manet invariata. E. differunt realiter. Si* rationis diſcrimen *ſufficere dicas, falſum erit. Nam quorum unum variari poteſt, altero invariato manente, ea differunt plus quàm ratione. Sic potentia motiva in homine perfici poteſt naturaliter, eſſentia humana non. E. differunt realiter. Per eandem analogiam de immaterialibus ſtatuendum. Si potentias naturales non poſſe intendi & remitti, regeras, cum quibusdam, vel caloris & frigoris exemplis retunderis, quæ potentiæ ſunt, quà virtutes agendi manantes ab esſentijs ſuarum formarum ſunt: qualitates patibiles, quà externos ſenſus afficere poſſunt. Et ita potentias intendi concedit Dn. Scheib:* l. 2. Meta. c. 11. n. 35. 36. *aliàs id de potentijs negans* c. l. c. 8. n. 208. & c. 8. intr. Log. n. 64.

20. *His rationibus Thomiſtarum ſententia non improbabiliter adſtruitur. Addi ſolent ab alijs* aliæ, *ſed quas videri parum roboris habere, rectè ait* Ruv. c. l. n. 6. *Adeoq́ non magnoperè urgendas cenſeo. Velut.* 1. Eſſe *eſt prius quàm operari. E. & eſſe ſpiritus ante intellectum. Rationis diſcrimen hinc tantùm infertur, non rei: In accidentibus vix & illud quidem. Sic in calore, frigore, ſimul eſt, eſſe & operativum eſſe. Ipſa enim accidentia ſunt principia operativa per ſe.* V. t. 30. 2. Actio *eſt inter contraria. E. & potentiæ ſunt contrariæ. At ſubſtantiarum non eſt contrarietas, ſed accidentium. Rectius hoc de actionibus materialibus & iſtis potentijs urgetur, de quo* th. 27. *quàm immaterialibus. Hæ non ſemper contrariæ. Sic intellectio, ratiocina-*

tio, non habent propriè contrarium. Actionibus ratione terminorum tribuitur contrarietas. 3. Agens *per essentiam semper est in actu, ut Deus. Sic & spiritus creatus esset. Sed non est absurdum, actum aliquem perpetuum creatis tribuere; Sic in animatis est perpetuus actus vitalitatis, quàm diu animata manent,* V. Becan. c. l. tr. 3. c. 1. q. 7. n. 5. Alsted. c. l. c. 4 §. 1. *Ita & spiritus in perpetuo actu intellectualitatis esse potest. Objectum modò hoc, modò illud intelligere potest, & sic objectivè in potentiâ intelligendi esse potest, quomodo explico* Dn. Scheibl. l. 2. Metaph. c. 4. n. 176. *Ab omni omninò intellectu formaliter & subjectivè, cessare non potest. Vt vivum incessanter vivit: Sic intelligentia incessanter intelligit. Sic calor semper calefacit, ni inhibeatur, frigus semper frigefacit. Cur non idem de spiritibus dicendum? Pulcrè* Augustinus ap. Scotum c. l. *Anima semper novit se, propter propinquitatem ad actum noscendi.* 4. Si spiritus *creatus omnia agit per essentiam, E. erit purus actus ut Deus, & Deo aqualis. Hoc non sequitur. Ageret Sp. per essentiam, sed dependentem, creatam, finitam: Deus per independentem, & increatam. Sp. creatus contingenter sic ageret, ex liberâ Dei dispositione & externâ determinatione: Deus necessariò, & ex intimâ essentiæ infinitæ perfectione. Quo modo si Sp. creatus ageret per essentiam, independenter, necessariò, ex intrinsecâ naturæ perfectione, contradictio implicaretur, quâ ratione assentio sententiæ* Ruuij c. l. n. 22. & Cajetani p. 1. q. 44. ar. 3. *non si ex libero Dei beneplacito, voluntate, & absolutâ, quam exerere velit, potestate. Et præterea Deus continet omnes perfectiones creatorum eminenter: spiritus hoc modo unam atq; alteram tantùm, unde nondum Deo æquatur. Vt rectè* Valent. c. l. q. 5. p. 3.

21. Ergò missis istis rationibus, ut infirmioribus, ut major lux toti materiæ, difficili alioquin & satis intricatæ, inferatur, videamus potissima contrà sentientium argumenta, & modum,

quo

quo solui possint, ostendamus. Quædam sunt aliena à scopo: quædam nostræ sententiæ non multum adversantia. Obijciunt 1. Substantia *immediatè producit aliam substantiam sine accidente, secus accidens produceret substantiam. E. est immediatè per suam essentiam operativa. R. Subst: immediatè producit substantiam, immediatione suppositi, non est aliud suppositum inter producens & productum: sed non immediatione virtutis, sic enim per vim generativam vel productivam producit, quæ non ipsa subst: essentia, sed superaddita potentia.* 2. Angelus & anima *rationalis immediatè efficiunt proprietates suas, quæ ab essentijs earum emanant, ut intellectum & voluntatem. E. substantia creata aliquid per essentiam efficit. Ita passim* Scotus, Mendoza, Arriaga. *R. Est argumentum alienum. Spiritus efficit proprietates, non ut actus vel operationes, de quibus hic quæritur: sed ut facultates & potentias ad operandum destinatas. Nec eas efficit* rigidè, *quomodo intellectionem, volitionem, efficit: sed latè, i.e. fundit essentia eas de se, & ipsæ potiùs fluxu quodam naturali ex essentijs subjectorum emanant,* simplici **emanatione, non rigidâ effectione.** *Sic unda ab undâ fluxu naturali emanat, non rigidè efficitur ab eâ. Hoc modo dicitur: dans formam dat consequentia formam. Ita dator essentiæ spiritualis etiam efficit istas proprietates, ut in secundo Entis momento rem naturaliter consequentes. Et qualiscunq; hic sit effectio, de quâ certant Philosophi,* V. Suaretz d. 18. Met. f. 3. *certum est, non esse actus s. operationes à potentijs operativis effectas, sed ipsas potentias ab essentijs rerum manando fluentes. Has immediatè manare à se facit: sed cœteras operationes, quæ rigidè tales sunt, medijs potentijs exequitur. Sic ab aquâ calefactâ, remoto calefaciente, naturaliter incipit emanare nativum frigus, & sic revocatur aqua paulatim ad frigiditatem. Naturalis potiùs hic est resultantia effectus ab agente, quàm actio vel operatio. Nam ita magis vocari eas actiones à solo agente*

gente dependentes, cujus essentiam comitantur, velut umbra corpus, quàm operationes, author est Ruvius d. pot. an. q. 1. n. 15. *Et benè deducit* n.16. *Hæ resultationes benè ab essentiâ rei defluere possunt, sed non sunt tales operationes, de quibus hic quæritur.* Con. Arriag: d. 11. Phy: n. 11. 12. *Dicuntur interdum effectivè potentiæ procedere ab animâ, Vt ipse Ruvio* c.l. n. 81. 82. *disputat: sed effectio est generalis, id est, emanatio, non specialis, i.e. rigida & dependens ab extrinsecis actio aut operatio. Sic quantitas agit per emanationem, rigida tamen actio non est.* V. Scheibl. intr. Log. c. 10. n. 19. 20. Zabar. l. 1. d. mot. gr. & leu. c. 11.

22. 3. Entia *non sunt multiplicanda sine manifestâ necessitate. At potest spiritus ea per essentiam efficere, ad quæ multæ potentiæ tribuuntur. Ergò. R. Neg. minor: Agere per essentiam in substantijs est maxima perfectio, ordinario naturæ modo creaturæ non competibilis. Et sic multæ potentiæ tribuuntur agenti creato & ob compositionem, & actûs impuritatem, & imperfectionem, & peculiarem ad multa determinationem, quibus omnibus per unam essentiam sufficiens esse nequit, nisi potentiâ absolutâ peculiariter exaltetur.* U. t. 20. *Ita non sine necessitate multiplicantur entia.* 4. Forma *accidentalis, quæ est inferioris ordinis, agit sine adjectâ potentiâ per se ipsam, ut calor, frigus, visus, Locomotiva. E. magis forma substantialis, ut superioris ordinis. Secus accidens majoris erit perfectionis quàm substantia. R. N. C. Accidens est agens ut quo, & instrumentaliter, ideò immediatè ut potentia agendi agit, nec ei assignanda alia potentia, ne in infinitum labamur: Substantia agit ut quod, subjectivè & principaliter, ideò potentiâ opus habet. Inde non major perfectio est accidentis, quàm substantiæ. Nam agere* ut quo & instrumentaliter *dependentiam & subservitionem innuit, quod imperfectionis: Agere* ut quod & *principaliter, absolutam effectionē notat, & est perfectionis.* Conf. th. 25.

th. 25. 5. Sp. immediatè *recipit suas passiones. E. & immediatè efficere potest. R.N.C. Sp. non est vera efficiens suarum potentiarum, sed subjectiva,* V.t.21. *ideò plura in uno immediatè recipere potest: Sed actuum est vera efficiens, & diversi non sunt nisi à diversis potentijs.* 6. Materiæ *receptivitas est ipsum esse materiæ. E. & formæ activitas. R.N.C. Receptivitas est potentia passiva, & imperfectionis: ideò non indiget peculiari potentiâ: sed activitas ut Quod, est pot: activæ, & perfectionis, ideò potentiam requirit.*

23. 7. Aqua fervida *remoto calefaciente revocat se ad frigiditatem naturalem propriâ essentiâ, nam frigus omne per summum fervorem est expulsum. E. si substantia materialis immediatè agit, magis spiritualis. R. Varia hic responsio. Quidam respondent, ab occultâ qualitate remanente in aquâ id fieri. Sed si est occulta, unde illi noverunt? Vide in simili* Scalig. ex. 273. *Deinde ista occulta qualitas unde erit, nisi immediatè à substantiâ, nisi in infinitum procedas?* Dn. Scheib. *putat in aquâ fervidissimâ manere aliquem nativi frigoris gradum, quo se revocet ad frigiditatem:* Top. c. 8. n. 95. 106. l. 1. Metap. c. 23. n. 72. *Sed quia sensus nihil in aquâ fervidissimâ frigoris comperit, non est credibile, latere in eâ, ad summum fervorem reductâ, aliquid frigoris.* Rectius resp. *Vim frigidandi tanquam proprium, manere in aquâ, etsi actus frigoris calore sit expulsus. Propria enim sunt intelligenda de potentiâ, non actu: & naturaliter sunt inseparabilia à subjectis. Ita ignis semper calidissimus, i. e. summâ vi calefaciendi præditus, etsi non semper actu calefaciat. Ergò abscedente calefaciente, sensim aqua ad pristinum frigus se revocat per proprietatem suam, vim frigefaciendi, naturaliter fluentem ab ipsâ per simplicem resultantiam, non peculiarem operationem.* V. t. 21. *Ita rectè advertit* Valentia c. l. 8. Sol unâ *virtute potest multos effectus producere, ut calore calefactionem, liquefactionem, indurationem, exsiccationem. Et tamen est*

men est corpus compositum. E. major simplicitas tribuenda spiritui. R. Est Elenchus alieni. Non quæritur, an una virtus possit multas operationes edere: Sed an ista virtus re sit distincta ab essentiâ creaturæ. Id etiam in sole ita est. Virtus calefaciens re differt ab essentiâ solis. Sic & una virtus animæ multas operationes speciales edit, sub generali velut comprahensas, ut intellectus apprahensionem, affirmationem, negationem, illationem, ordinationem: tamen differt re ab essentiâ animæ. Hoc hic satis est, ubi de differentiâ potentiæ ab essentiâ quæritur, non multitudine actuum ab unâ potentiâ profectorum.

24. 9. Si intellectus *est accidens spiritus, E. spiritus intellectualis præcisè concipi poterit ut non intelligens, rationalis anima ut non rationalis, idem enim in eâ est intelligens & rationalis quæ sunt contradictoria suis subjectis. R. Intelligens & rationale esse* dupliciter *sumuntur.* 1. Ut *notant gradus essentiales: formarum, constituentes suas formas essendi. Sic formæ, quas constituunt, non possunt spectari sine illis. Sic intelligentia non potest sine intellectualitate spectari, quæ est ejus formale: Anima rationalis non sine rationalitate: nam quod quidditativum rei est, sine eo res, de cujus quidditate est, nequit spectari.* 2. Ut *notant potentias essentiis superjectas, & sic essentiæ præcisè conceptæ, sine potentiis spectari possunt. Sunt enim ita potentiæ posteriores, essentiæ priores. At prius potest præscindi à posteriori, & sine eo considerari. Ita considerabitur angelus ut spiritus finitus, dependens, habilitatem naturalem ad intellectum habens: Anima ut spiritus immaterialis, finitus, propensionem ad rationale habens. Conf.* Perer l. 2. d. Phil. c. 2. *Nec ex hac præcisione sequetur, spiritum intellectualem fore brutum, aut animam rationalem fore irrationalem & bestialem. Manet enim* 1. propensio *naturalis ad intelligendum, quæ non in bruto, bestiâ & irrationali.* 2. Radix *& fundamentum intellectus, ipsa essentia spiritualis, quà gradum istum essentialem*

in suâ

in suâ quidditate habere potest, quem vocib⁹ intellectuale & rationale esse, exprimimus. Hic non in brutis. Conf. Ruv.c.l.§.29.
10. Si intellectus *& voluntas sunt accidentia spiritus, E. poterunt divinitùs separari ab eo. Sic Sp. erit non intelligens, non volens.* R. Capreolus 1. sent. dist. 3. *negavit consequentiam, & instantias adduxit de essentiâ & esse, & correlativis.* ap. Mercat.c.l. Soto & Ferrariensis *concesserunt, absolutâ Dei potentiâ posse separari. Atq; esto hoc: Possint separari: erit sic sp: creatus præternaturaliter constitutus, erit non intelligens, non volens, perinde ac præcisivè spectatus: cum habitudine tamen Naturali & radicatione fundamentali ad intelligendum, volendum. Et sic non erit brutus, bestialis, irrationalis, ut ante dictum.*

25. 11. Si intellectus *accidens spiritus, E spiritus intelliget per accidens, & non per se, & homo erit homo per accidens aliquod, non per essentiam, quod absurdum. R. 1. Intelligens esse notat interdum gradum essentialem.* V.t. 24. *Sic Sp. creatus essentialiter est intelligens, per suum actum essentialem, non accidentaliter. 2.* τὸ *per accidens est ambiguum. Interdum notat contingens, ut accidens prædicabile, sic spiritus non intelligit per accidens: interdum vim essentiæ, ut proprium superjectum. Ita homo intelligit per vim intelligendi, ut quo: per animam ut quod, & actum formalem, vim istam de se fundentem. Totus homo agit ut subjectum completum, ultimatum & denominationis: Qualitates & partes, ut causæ partiales. Sic* Arist. 1. d. an. c. 4. t. 64. *melius dici ait, hominem misereri, cogitare, discere per animam, quàm animam. Hæc enim pars, homo totum. Nec hinc desinit homo per se intelligere. Nam & quæ in secundo dicendi modo per se sunt, sunt per se, etsi ab alio originem habeant. Sic risibile, docile esse.* V. dn. Scheid. pro. c. 4. n. 68. 69. Ragusejum dis. Perip. 4. c. 21. 12. Anima *immediatè informat corpus & dat esse formato. E. & immediatè operatio-*

rationes suas edere potest. R. Non est par consequentia, de quo Vid. th. 29. 13. Si intellectus *re distinctus ab animâ, aut anima principaliter intelliget, aut intellectus. Si anima, E. per se sine accidente intelliget. Si intellectus, E. accidens principaliùs aget, quam substantia, quod absurdum. R. Anima principaliter intelligit ut quod, & sic semper nobilior potentiâ: Intellectus instrumentaliter intelligit, ut Quo, hinc nulla nobilitas, est enim talis operatio imperfectio.* V. c.22. 14. Si *intellectus est accidens animæ, aut anima illud intelliget, & sic vel novâ potentiâ opus erit, atq; ita in infinitum, vel intelliget immediatè per essentiam, & sic habetur intentum: Aut non intelliget, sic erit in animâ brutum quid. R. Anima intelligit intellectum suum, non per novam potentiam, sed ejusdem potentiæ super se reflexionem. Quomodo immaterialia intelligunt se ipsa.* V. D. Senn. l. 8. Phy: c. 1. Scalig. ex: 76. s. 3. ex. 307. s. 2. *Et concedit ipse* Alsted. l. 7. Enc. p. 6. c. 7. §. 2. *Qui in Pneumaticis hoc argumentum objicit.*

26. 15. Si anima *non immediatè efficit voluntatem, non est ipsa principaliter digna amore & præmio ob opus bonum, vel pœnâ & odio ob opus malum, sed voluntas animæ, quæ immediatè agit vel bonum vel malum. At hoc est contra communem Theologorum sententiam. R. Anima efficit bonum & malum ut Quod formale, & principale agens, & sic pœnâ vel præmio est digna: Voluntas ut Quo & instrumentale, & sic præmia vel pœnas primò non recipit. Sic fur punitur ob furtum, quia agens principale & totale est, etsi manus instrumentale & partiale fuerit. Qualitates sunt instrumenta & arma formarum, ut communiter dicitur: & tamen qualitates non afficiuntur laude, præmio, vituperio: sed substantiæ per qualitates agentes.* Ad ultimum *sequentia advertenda.* 1. Non est absurda *vel impossibilis Scoti & sequacium sententia: nec per potentiam Dei absolutam repugnat, Spiritum creatum ita fieri, ut per essentiam in-*

am intelligat, volat. Nam liberâ Dei dispensatione sic creabitur, non essentiæ necessitate. Et manebit per hoc creatus, finitus, dependens, non Deo æquabitur. V. t.20. 2. Sp. creatus *immediatè agit ut principium Quod, mediatè per potentiam, ut principium Quo. 3. Potentia operandi non est sola habilitas & idoneitas ad operandum,* ut Zabar. c. 4. d. fac. an. *vult, sed vis & potestas exerendi operationem. Sic puer habilis, ut fiat Cantor, & canat: Sed Musicus potens vi agendi, ut canat.* 4. Potentia *non est medium inter substantiam & operationem in genere generalissimo, quasi nec sit substantia, nec accidens, est enim accidens proprium: Sed in modo operandi. Est enim facultas, per quam substantia operationem exerit.* 5. Sp. potest *dici per essentiam operari Physicè & concretè acceptam, ut affectiones involvuntur, non Metaphysicè & abstractè sumptam, ut affectiones essentiæ contradistinguuntur.* 6. Propria *intimè essentiis rerum sunt implicata, unde dicuntur essentiæ in secundo rerum momento,* V. Scal. ex. 307. f. 15. *Hinc difficulter discrimen substantiarum & propriorum cognoscimus. Sic calor intimè essentiæ ignis copulatus, lumen solis: undè ægrè discrimen inter ignem & vim calefaciendi, solem & vim illuminandi advertimus. Ex actibus, objectis, modis agendi, essentiarum habitudinibus, qualitercunq; colligere cogimur. Sæpè rerum formæ & essentiæ latent, & non nisi per propria cognoscuntur: undè in definitionibus cogimur propria pro differentiis essentialibus adhibere, quia illæ sunt occultæ.* V. Scalig. c.l.f.21.

27. *Hæc de* secundâ *propositione: Dico* III. In substantiâ creatâ compositâ, evidentius est discrimen reale inter essentiam & agendi potentiam. *V. g. vis calefaciendi differt ab igne, frigefaciendi ab aquâ, movendi ab equo. Et probatur* I. Si in his *& similibus materialibus potentia idem cum substantiâ, Ergò ut potentiæ inter se contrariantur, sic & contrariæ erunt substantiæ. Sic contrariantur potentia calefactiva & fri-*

gefactiva: humefactiva, siccativa: retentrix & expultrix. At substantias sibi contrariari & negat Aristot. *in Categ. subst. & ratio suadet. Nam quæ contrariantur, effectivè sese expellunt è subjectis, ut calor frigus, humor siccitatem, albedo nigredinem, virtus vitium. Hæc enim est illa specialis contrarietas accidentibus debita. At substantiæ nec sunt in subjectis, nec effectiuè sibi contrariantur. Nec enim est ulla substantia, quæ præcisè in esse definitivo substantiæ spectata, contrarietur alteri. Omnis enim substantia est ens per se subsistens, id est, non inhærens. Si regeras,* animatum, inanimatum, corporeum, spirituale, mistum, simplex, sentiens, insensatum, rationale, brutale, esse substantias, *& tamen contrariari: quod contra Aristotelem urgent* Ramus, Taurellus, Scheiblerus, Hesselbein: *aliiq́, facilis est responsio. Non sunt istæ res substantiæ præcisè sumptæ, id est, in absolutâ subst. definitione; sed tales & tales substantiæ in specie. i. e. differentiis suis determinatæ, quas differentias sibi contrariari nihil mirum est, & jam olim ab Aristotele assertum* 10. Meta. c. 4. *Vbi perfectam differentiam perfectam contrarietatem vocat. At differentias generibus, ut sic, accidentales esse ajunt Logici, speciebus quas constituunt, essentiales.* Arist. 6. Top. c. 6. Dn: Weger: f. 2. Log. c. 10. §. 6. *Ita substantiæ in esse definitivo substantiæ considerata, accidentale erit, esse in rationali, brutali, simplici, misto, &c. nec hic contrarietas per se substantiæ inferetur.* Alii *omnes differentias rerum ex prædicamentis accidentium desumi ajunt, ut* Cæsalp. l. 1. qu. Perip. q. 5. Scherbi. d. diff. defin. *Et de pluribus rebus verissimum est, ut definitiones brutorum, plantarum, mineralium, astrorum, &c. docent. Huc querelæ Philosophorum de formis in abstruso latentibus pertinent.* V. Scalig. ex. 307. f. 21. *In humanâ tamen specie ipsam essentialem formam, rationale esse, novimus, & pro differentiâ adhibemus. Vndè* Scholastici *ajunt, Hominum animas substantivas, brutorum qualitativas*

esse,

esse, ut narrat Junius *ad* Lev. 17. v. 14. *Sic ens formaliter & præcisè spectatum in essentiâ non contrariatur enti: etsi materialiter & concretè, v. g. ut simplex, compositum, dependens, independens, finitum, infinitum est, contrariari possit. De quo alibi clariùs. Huc pertinet apertum Arist. testimonium* L. d. sens. c. 4. *In naturalibus agere aliquid, non quà ignis, terra aut aqua est, sed quà inest contrarietas in his. i. e. quà potentiæ agendi contraria, insunt. Con.* Ruvi. l. 2. d. gen. c. 3. q. 3. n. 44. *E. potentiæ non sunt ipsæ substantiarum compositarum essentiæ.*

28. II. Si potentia *substantiæ compositæ, & ipsa substantia re idem sunt, E. licebit à parte rei & sensu identico dicere, substantia est sua potentia agendi, v. g. Equus est sua potentia nutriendi, movendi, videndi. Nam sic licet dicere in iis, in quibus essentia & potentia à parte rei eadem sunt, ut Deo. Ita ex mente* Scoti *de animâ licet dicere, Anima est suus intellectus, voluntas, &c. At de substantiis compositis planè non licet ita dicere, nec tales loquendi formæ adhuc sunt auditæ: Canis est sua potentia latrandi, currendi: Equus sua potentia hinniendi, leo rugiendi, Homo intelligendi, volendi, &c. nec Scotus in compositis substantiis eas admittit. E. differunt re essentia & potentia.* Dices: Arist. 9. Ethic. c. 4. *hominem videri esse suum intellectum ait. Sic & homo sua potentia intelligendi dici posset. R.* Thomas p. 3. q. 50. *respondet, hominem dici intellectum virtualiter, quia intellectus est principalis vis hominis, in quâ dispositio hominis lateat. Sic Gubernatorem civitatis dici totam civitatem, quod in eo dispositio civitatis consistat. Sed hic sensus satis æquivocus & abusivus est. Non dicimus Ducem totum exercitũ, quod in eo consistat tota dispositio exercitûs.* Rectiùs *respondetur, Sensum dicti Aristotelici esse moralem. Moraliter quod quisq; intelligit esse optimum, id quàm maximè est, vel esse cupit. Sic qui probitatem optimum esse intelligit, maximè probus esse vult. Sic viro probo bonum esse, est esse. Sic qui sanitatem maximum bonum esse putat, maximè sanus esse appetit: Qui divitias, maximè dives esse optat. Ita quilibet suus intellectus in moralibus esse desiderat.*

29. Dico IV. In substantiâ incompletâ, quæ est principium compositi, ut materia & forma, potentia recipiendi & informandi non differt realiter ab ipsâ essentiâ, sed ratione tantùm. *Prius patet,* 1. Quia *ista principia sunt incompleta, ad essentialem aliorum completionem ordinata, ideò non egent peculiari ad componendum potentiâ, sed suis essentiis certo modo se habentibus id perficere possunt.* 2. Quia *receptio & informatio non sunt rigidæ operationes, de quibus hic quæstio est, sed modi potius se habendi, essentiis principiorũ inclusi.* Receptio f receptivitas materiæ est *potius imperfectio, privationẽ rei & principium passivum tantùm inferens, non perfectio, ideò potentiâ realiter diversâ supra essentiam opus non habet: Sed rationis & formalis distinctionis discrimen hic sufficiet; ut materia* in primo *formali conceptu spectata sumatur ut principium substantiale & substantia incompleta:* in secundo, *ut habilis ad suscipiendum formas. Vtrumq; ad complendam totam materiæ definitionem simul pertineat. Conf.* Ragusei. dis. Perip. 4. c. 20. 21. *Quod si receptivitas esset accidens re diversum ab esse materiæ, & illi superjectum, jam materia esset composita ex substantiâ & accidente, i. e. esset compositum substantiale. Quod est contra naturam principii, & Aristotelem* 2. d. an. c. 1. t 2. & 8. Metap. c. 5. *Conf.* eundem c. l. c. 4. Perer. l. 5. d. Phil c. 21. 22. Informatio in formâ *nõ est vera operatio, sed modus quidam essentiæ formæ inclusus, vel potius ipsa formæ causalitas, i. e. unitio ad materiam & influxus in eam, ideò nec hic distinctâ potentiâ opus.* V. D. Scheibl. l. 1. Met c. 22. n. 269. l. 2. c. 8 n. 181. *Sunt potius præparationes & antecedentia ad veras operationes, quam ipsæ veræ operationes.* Zabarel. l. d. fac. an. c. 5. & l. 1. d. mar. pri. c. 9. *& hic discrimen reale & potentias novas urget. Sed præter necessitatem. Causalitates non differunt realiter à suis causis, sed ad summum modaliter: Sunt enim ipsi influxus cujusq; causæ in suo genere ad effectum, ut alibi disputatur* V. C. l. 1. M. , C5. d. 4. q. 3.

E t Ari-

Et Aristoteles potentiam completarum & prædicamentaliũ rerum *inter accidentia, quæ qualitates dicuntur, reposuit, non incompletarum & transcendentalium, quales principia & causæ sunt, inter quas materia & forma. Quidquid hic sit de Scotistarum sententiâ, de qua* V. Zabar. c.l.d.ma.pr.Ragusei:c.l. c.14.

30. Dico V. In Ente creato accidentali, quod principium operandi est, potentia operandi est ipsa rei essentia. *Ita accidentia sunt proxima actionum principia, ut quibus. At quæ talia sunt, ipsæ agendi potentiæ sunt. Sic calor, frigus, sunt ipsæ calefaciendi, frigefaciendi potentiæ, non habent alias ad agendum potentias. Et ratio facilis est* ex vitando processu in infinitum. *Deveniendum tandem est ad principium quoddam, quod potentia agendi tantùm sit, non quod novam potentiam superadditam habeat, nisi in infinitum procedere velimus. Ita in Categoriâ qualitatis potentias activas vocamus qualitates quasdam, ut habitum, dispositionem, potentiam naturalem, qualitatem patibilẽ, &c.* Zabarel.c.5. d.fa. an. *& hic novas potentias consequentes illa accidentia ponendas putat. Sed non sunt temerè ita accidentia multiplicanda. Qualitates activæ supperadditæ sunt substantiis, ut instrumenta ad operationem utilia, & sic rectiùs ipsæ agendi virtutes, quam novis virtutibus instructæ dicuntur. Procedit sententia hæc ex aliâ hypothesi, potentias tantùm esse* habilitates *ad agendum, non efficaces ad operandum virtutes.*

31. Dico VI. Potentia objectiva, obœdientialis & resistiva non differunt realiter ab essentiis rerum, quibus competunt. *Potentia* objectiva *est, quâ aliquid est in potentiâ naturalis agentis, â quo produci potest. Sic rosa hyeme in potentiâ sui fruticis, filius in potestate parentis.* Obœdientialis *est, quâ quid est in potentiâ superioris agentis, â quo produci potest, ut Dei, vel artificis. Sic lapis in potentiâ ad liberos dicitur, nam Deus eos inde producere potest.* Mat.3.v.9. *Asina Bileami*

ad loquendum. Num:22.v.28. *ferrum ad supernatandum aquis* 2.Reg. 6.v.6. *Nam illa Deus efficere in ijs poterat.* Resistiva *est, quâ aliquid resistere potest agenti privativè aut positivè.* Privativè, *i. e. impedire & non admittere actum. Sic paries impedit, ne sol te calefaciat; distantia loci, ne ignis incendat stupam.* Positivè, *i.e. efficaciter reagere contra aliud. Sic calor resistit frigori, oppugnando vim ejus. Nulla harum potentiarum re differt ab essentiâ.* Non objectiva, *nam hac est modus tantùm essentiæ, negans actualem existentiam, & potentialem ponens: At tales modi sunt ipsæ essentiæ rerum cum modis considerata: non differunt realiter tanquam novæ res essentijs superadditæ, dicunt enim potius non positionem Entis, quàm positionem. At quæ potius non esse dicunt, quàm esse, ut res & res differre non possunt. Et respicit pot:* objectiva *sæpè potentiam activam & passivam, cum quibus realiter unum est.* V. Ragusei. c. l. c. 9. 10. *At potentia activa & passiva sunt ipsa agendi vel patiendi principia, non novæ essentiæ re ab illis diversæ.* V. t. 30. Non obœdientialis, *dicit enim nudam repugnantiæ negationem in subjecto, & modum quendam se habendi ad superius agens non repugnanter. Sic asina non repugnabat respectu Dei, loqui: æri non, respectu artificis, statuam fieri. Sunt tales modi ipsæ rerum essentiæ cum non repugnantiâ ad externum agens apprehensæ.* Non resistiva privativè, *nam & hæc negationem potius dicit, quàm positionem, resistere hoc modo est non admittere. Sic durities resistit sectioni, i.e. non admittit. Ista non admissio est modus negativus ipsi essentiæ duritiei inclusus, & non nisi modaliter ab ipsâ essentiâ diversus.* Non positivè, *sic enim est ipsa essentia potentiæ activæ cum oppugnatione alterius spectata. Sic potentia resistiva caloris est ipsa agendi vis in calore, quæ est ipsa essentia caloris,* per th. 30. *Accidentium propria & immediata est resistentia, ut & agendi potentia. Et sic, ut ipsa sunt suæ potentiæ agendi, sic & suæ sunt resistentiæ.*

Sub-

Substantiæ resistunt mediatè per accidentia. Ab istis ut accidentia operativa differunt, sic & resistendi potentia differre potest, sed illis immediatè non competit. Con Zabar. d. react. c. 5. Dn. Scheibl. l. 1. Meta: c. 14. n. 44. 45.

32. *E disputatis liquet,* potentiam rei modò esse essentiam, *ut in Deo, materiâ, formâ, accidente activo, pot. objectivâ, obædientiali, & resistivâ:* modo accidens essentiæ superadditum, *ut in spiritu creato, & substantiâ Physicâ compositâ. Facilius hinc erit vestigare generalem definitionem potentiæ, utriq; rerum generi, & ubi potentia identificatur subjecto, & ubi diversificatur, competentem. Variè definiri solet.* Scalig. ex. 307. s. 19. *definit apparatum ad actum. Eum sequitur* Bierm. disp. d. pot. th. 131. *Sed vox apparatus est valdè tropica, adeoq; in definitionibus, si suppetant magis propriæ, fugienda,* per 6. Top. c. 2. *Ita Logicam vocat Idem suppellectilem,* ex. 1. s. 3. *Non tamen definiendo Logicam, verum genus supellex erit.* Timpl. l. 5. Met. c. 3. q. 6. *qualitatem, secundum quam Ens aptum est ad agendum vel patiendum. Sed hæc definitio magis est potentiæ prædicamentalis, quàm generalis: nam non nisi improprijssimè & abusivè potentia divina dicetur qualitas, cum sit ipsa essentia divina, ut Idem agnoscit.* Dn. Scheibl. c. I. n. 14. *definit Ens, quod per actum aliquem actuari potest. Hic vocabulum* actuandi, *benè explicandum: ne aut imperfectio quædam potentiæ divinæ inde inferatur, quasi illa redderetur perfectior per actum: Vel perfici credantur omnia ea, quæ quovis modo actuantur. Nam & potentia non essendi actuatur per non esse, non acsi perficeretur, sed quòd in totum destruatur & annihiletur.* Fonsecæ ad 9. Metaph. c. 2. *dicitur principium agendi patiendivè: Generaliter dici potest* vis & dispositio ad actum. *Vbi* 1. definitur, *& potentia prædicamentalis, quæ est qualitas ad agendum vel patiendum destinata: & transcendentalis, ut pot. divina, objectiva, obædientialis, quæ omnes sunt vires ad*

actum

actum vel operandi, vel recipiendi. 2. Vox vis & *prædicamentaliter & transcendenter sumenda.* 3. Vox dispositionis *non prædicamentaliter sumenda, ut notat viam ad habitum, quomodo in* Categ. Qualitatis *sumitur: nec Rhetoricè, ut ordinationem partium Orationis notat: nec Logicè, ut quamvis ordinationem in rebus notat: sed* transcendenter, *ut quamvis habitudinem tendentiam, congruentiam ad actum notat. Sic in Deo vis miserandi est dispositio, id est, habitudo ad actum misertionis: justitia dispositio ad actum justè agendi. Semovendæ hic omnes* impuritates, *quæ in creatis, vocibus his adhærere possunt. Sic potentia objectiva est habitudo ad actum, quo naturaliter quid produci potest.* 4. Vox actus *& prædicamentaliter sumenda, pro operatione creatâ & finitâ: & transcendenter pro operatione divinâ, ut creatio, prædestinatio: semotis etiam vocis quibuscunq; imperfectionibus. Ne cogitetur, Deum primò esse otiosum respectu sui, ac postea sese in actum promovere. Est enim actus purissimus.* Jac. I. v. 17. *Similiter sumenda vox actus pro actu vel eliciendo, undè pot. activa, vel recipiendo, undè passiva oritur: pro actu essendi potentiali, undè pot. objectiva & obœdientialis vim ad actum notat, quo potest esse nancisci, si producatur ab aliquo. Ita explicata definitio generaliter omnibus rebus applicari poterit, creatis & increatis, prædicamentalibus & extraprædicamentalibus: actualibus & potentialibus, productis & producendis, completis & incompletis, & in quibus ulla se ad aliquid potentia ostendet.* Cætera *discursui servamus,* & divisionem & affectionem *potentiæ sequenti disceptationi pertractandam reservamus.*

Auctaria

Omnium hominum maximè longævus fuit Adamus, *ne ipso* Mathusalahâ *quidem excepto.*

Columba ab accipitre vehementer agitata est immobilis.